

in quibus calor Elementaris ab Elementare frigore premitur ac vincitur, & nihilominus calor nativus salvus vegetusque, imò in aëre suâ permanet, operationesq; suas sine ullò impedimento exercet: sic & ruta, elleborus, aliæque plantæ, tempore byberno in medio gelu & glacie virent, crescunt, & pullulant. Quo posito, facile patet, frigus in calorem illum nihil juris obtinere, & per consequens eum Elementarem non esse. Hoc enim si non staret, cur non frigus intensissimum calorem debilem, qui ne sensibilis quidem est, vel primò ictu superaret, & animantia ista enecaret? &c. Vide & Sennertum l.c.p.39. b.de Cons ac Diff.Cap.X.pag.123.b.124.a.

XXIII. Aliter hîc concluditur, ac in argumentò primò, nimirum: *Calido innato competit essentia elementorum essentiis longè nobilior.* Quod quidem quâ de causâ fiat, non immeritò quæras. Neque enim est secundum *leges boni disputatoris à Sperlingiò depictas.* Conclusio quam probandam sibi sumsit ac ipsemet posuit Sperlingius, hæc est: *Calidum innatum pro substantiâ viventibus corporibus propriâ sumtum, cum substantiis Elementaribus, & in specie cum Substantiâ Ignis specie non convenit.* Quæ quàm lepide hîc inferatur, patet. Sed transeant, ut & quæ prolixè ad argumentum primum *Thes XVI. & XV. I.* notavimus, hîcque iterum essent notanda. Nimirum, quod pro unò venditentur duo Syllogismi distinctissimi: quod *non Elementare quid idem putetur ac tò specie ab Elementis differens, aut naturam ac essentiam habens specie ab Elementorum naturis ac essentiis diversam; sed falsissimè: quod posterior ex Tract. de Cal. inn. prolatus Syll. gismus nos minimè feriat, prior verò non nisi certò intellectus modò.* Omnibus his missis, falsissima certè & major & minor est, adversa & *Experientiæ, & Rationi.* Dicat nobis saltem Sperlingius, (ut unum instar omnium adferamus responsum) quæ veniat, quod Ignis Elementaris in silice, lapide ad sensum frigidissimò, in aquâ, Elementorum (secundum ipsum) frigiditur & jacente, cõservetur nec pereat? Inest enim Silici actu secundum ipsius mentem, & levi attritione erumpit. Unde & *perpetuum Ignis promtuarium* ipsi audit. Cur itaque à contrariò suo non damnum patitur? an forsitan etiam naturæ alicujus superelementaris est ac cœlestis? Dicat hoc, & nos